



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. VII. Vtrum ad nunquam peccandum venialiter requiratur speciale
privilegium, & cui fuerit concessum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

Nihilominus sententia negans videtur probabilior, & principis sui a statutis conformior: nam supra art. 4. ostendimus hominem lapsum non posse, absque speciali auxilio, præceptum dilectionis Dei ut authoris naturæ observare: Ergo nec potest absque speciali gratia peccatū omissionis hujus præcepti vitare. Diximus etiā supra valde probabile esse, hominem lapsum non posse quædam alia præcepta difficilia legis naturalis sine gratia adimplere, ut præceptum castitatis, urgente gravi tentatione & occasione, juxta illud Sapient. 8. *Scio quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det: cum enim huiusmodi actus sit arduus & difficilis, superat vires hominis infirmi*: Ergo similiter urgente gravi tentatione, homo lapsus non poterit, absque speciali auxilio, vitare peccatum luxuriæ, nec per consequens singulos actus peccati. Unde ad testimonia D. Thomæ dicendum est, vel ipsum loqui solum de peccatis quæ sunt contra observantiam præceptorum faciliū; vel si loquatur etiam de illis, quibus præcepta difficilia legis naturæ violantur, solum excludere necessitatem gratiæ habitualis, non verò auxilii specialis; ait enim: *Antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparatur per gratiam justificantem &c.* Ad rationem verò subjunctam concessio. Antecedente, nego Consequentiam: nam quod homo lapsus non possit sine gratia singula peccata mortalia vitare, non provenit ex parte objecti peccati, trahentis per modum naturæ, sed ex corruptione naturæ, & infirmitate potentiæ per peccatum debilitatæ, quæ non potest actus difficiles & arduos, etiam ordinis naturalis, elicere, nisi per gratiam roboretur & adjuvetur.

ARTICULUS VII.

Utrum ad nunquam peccandum venialiter requiratur speciale privilegium, & cui fuerit concessum?

S. I.

Prima pars quesiti resolvitur.

317 *D*ico primò: Homo in statu naturæ lapsæ, quantumcumque sit iustus & sanctus, non potest ex vi auxiliorum, quæ communi lege gratiæ annectuntur, omnia peccata venialia per totam vitam, vel per longum tempus vitare: sed ad hoc specialissimo auxilio, seu privilegio indiget. Ita communitè tenent Theologi cum S. Thomæ hic art. 8. licet Vega lib. 14. in Tridentinum cap. 21. repugnare videatur: docet enim posse quemlibet iustum, cum auxiliis quæ communi lege gratiæ annectuntur, abstinere toto tempore vitæ ab omni veniali, quamvis nullus id de facto fuerit consecutus. Durandus verò in 2. distinctione 28. quæst. 2. & Conradus hic art. 8. nostram conclusionem limitant ad peccata venialia quæ sunt ex indeliberatione, & asserunt alia quæ sunt venialia ex suo genere, sive ex objecto (ut furtum leve, mendacium iocosum, verbum otiosum) posse toto vitæ tempore absque speciali privilegio vitari.

318 *N*ostra tamen conclusio aperte colligitur ex variis Scripturæ testimoniis, quibus asseritur nullum esse iustum, quantumlibet gratiæ ornatum, qui aliquando non peccet: 2. Paralip. 6. *Nec enim est homo qui non peccet.* Jacobi 3. *In multis offendi-*

A *mus omnes.* Psal. 31. *Remissisti iniquitatem peccati mei: pro hac (scilicet peccati remissione) orabit ad te omnis sanctus.* Prima Joan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus &c.* Quod testimonium explicans Concilium Milevitanum cap. 6. ait: *Quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem dici nos habere peccatum, non quod vere ita est, anathema sit.* Et cap. 7. & 8. idem dicitur de verbis illis orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita nostra, illa scilicet dicere sanctos non solum pro aliis, sed etiam pro seipsis, & non solum humiliter, sed etiam veraciter.* In Tridentino etiam sess. 6. cap. 11. dicitur: *Licet in hac mortali vita, quantumvis sancti & iusti, in levissima saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti: nam iustorum illa vox est & humilis, & verax, dimitte nobis debita nostra.* Et postea ex eadem doctrina hanc definitionem confecit can. 23. *Si quis hominem semel iustificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum in Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Favent etiam SS. Patres, præsertim Augustinus, variis in locis: nam lib. 1. contra duas Epistol. Pelag. cap. 14. hæc scribit: *Multi baptizati fideles sunt sine crimine; sine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantumlibet Pelagianum, quia hæc dicimus, adversum nos insensur & dirumpantur infamia: non quia aliquid peccati remaneat, quod in baptismo non remittatur, sed quia in nobis, in huius vitæ infirmitate manentibus, quotidie fieri non quiescent, quæ fideliter orantibus, & misericorditer operantibus, quotidie remittantur.* Hæc est fidei Catholicæ sanitas, quam Sanctus ubique seminat Spiritus, non pravitas hæreticæ vanitas, & presumptio spiritus. Et libro de naturæ & gratiæ cap. 39. ait: *Si omnes sanctos & sanctas, dum hic viverent, congregare possumus, & interrogare utrum essent sine peccato, una voce clamarent: si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Unde de spiritu & litt. cap. ultimo asserit quod quamlibet, vel quantumlibet in hac vita poruerimus definire iustitiam, nullus in ea est hominum, qui nullum habeat omnino peccatum. Et de bono persever. cap. 2. *Tria sunt (inquit) quæ maximè adversus Pelagianos Catholica defendit Ecclesia: quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari. Alterum est, in quantumcumque iustitia, sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum.* Denique idem S. Doctor toto libro de perfectione iustitiæ refellit quasdam Cælestii argutias, seu ratiocinationes, quibus astruere conabatur, posse nos in hac corruptibili vitæ, ad eam venire iustitiæ perfectionem, ut sine omni prorsus vivamus peccato; ostendens neminem id unquam assecutum, vel assecuturum, ne per gratiam quidem, quam Deus hic præcipuis etiam sanctis suis præstare sit solitus; cum Pelagius & Celestius libero id etiam tribuerent arbitrio. Unde cap. 4. sic ait: *Quia peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas, & accipiat tanta libertas, in qua sicut necesse est, permaneat beatè vivendi voluntas, ita ut sit etiam benè vivendi, & nunquam peccandi, voluntaria sibi que necessitas.*

Similia docet Bernardus, præsertim in serm. 319 de

de cena Domini, ubi verba illa Christi expen-
diens. Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sic
ait: Lotus est qui gravi peccata non habet, cuius ca-
pitulum est intentio, & manus id est operatio & conver-
satio, mundula est: sed pedes, qui sunt anime affectiones,
sunt in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non
possumus, qui aliquando vanitati, aliquando volupta-
ti, aut curiositati, plusquam oportet cedat animus: vel
ad horam: in multis enim offendimus omnes. Huius-
que rationem supra assignaverat, dicens: In ca-
pitulum primi hominis cecidimus omnes: cecidimus autem
super acervum lapidum, & in luto; unde non solum
maginati, sed etiam vulnerati & graviter quassati
sumus: lavari quidem cito possumus, ad sanandum ve-
ra opus est curatione multâ.

Eadem ratione utitur S. Thomas hic art. 8.
ubi sic discit: In quo quidem statu (naturæ la-
pse) potest homo abstinere ab omni peccato mortali,
quod in ratione consistit, non autem potest abstinere ab
omni peccato veniali, propter corruptionem infer. oris
appetitus sensualitatis, cuius motus singulos quidem
ratio reprimere potest (& ex hoc habent rationem
peccati & voluntatis) non autem omnes: quia dum
uni resistere nititur, fortassis alius insurget, & etiam
quia ratio non semper potest esse pervigil ad huiusmodi
motus vitandos.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio:
Ut homo iustus possit omnia venialia collectivè
etiam ad mortem cavere, necessariò sequitur,
quod vel ligetur, vel extingatur fomes pecca-
ti: At ex vi auxiliorum, quæ communis lege
gratiæ annectuntur, nec ligatur, nec extinguitur
fomes: Ergo ex vi illorum non potest homo
iustus omnia peccata venialia collectivè vitare.
Minor est certa: tum quia in sola Beatissima Vir-
gine, ob dignitatem matris, fomitis ligatio aut
extinctio agnoscitur à Theologis: tum etiam
quia in omnibus iustis manet rebellio appeti-
tus ad agonem, ut docet Tridentinum. Major
verò suaderetur: Nisi extingatur, vel saltem li-
gatur fomes peccati, ex corrupto appetitu, &
ulcere concupiscenciæ, insurgunt frequentes
motus circa sensibilia, rationi non conformes:
At inter tot confictus non potest homo se im-
munem à peccato servare, nam quando uni resi-
stere nititur, alter insurgit, nec potest ratio esse
in continua vigilia: Ergo non nisi extincto aut
ligato fomite, potest homo iustus diu à peccato
veniali abstinere.

Dices, hanc rationem D. Thomæ probare
quidem, hominem iustum, sine speciali auxilio,
seu privilegio, non posse diu vitare omnia pec-
cata venialia, quæ defectu plenæ advertentiæ &
deliberationis committuntur, sed non convin-
cere de aliis quæ sunt cum plena deliberatione,
& quæ sunt venialia ex suo genere, sive ex ob-
jecto: Ergo homo iustus ista saltem absque spe-
ciali privilegio vitare poterit. Consequentia
manifesta est, Antecedens probatur. D. Thomas
ex defectu attentionis & vigiliæ probat homi-
nem non posse vitare omnia venialia: Sed defe-
ctus attentionis solum contingit in venialibus,
quæ sunt talia ex indeliberatione: Ergo ratio
D. Thomæ solum convincit de istis venialibus,
non verò de aliis quæ sunt venialia ex objecto,
& parvitate materiæ.

Propter hanc instantiam, Durandus & Con-
radus, ut supra retulimus, limitant nostram con-
clusionem ad sola venialia quæ sunt ex indeli-
beratione, & docent hominem, in statu naturæ
lapse, cum communibus auxiliis gratiæ posse
Tom. II.

A vitare omnia peccata venialia ex genere, vel ex
parvitate materiæ: quam sententiam non im-
probabilem iudicant patres ex nostris Thomi-
stis, ut Soto lib. 2. de natura & gratia cap. 4.
Martinez. Cariel, & Joannes a S. Thoma in
commentario huius articuli. Sed alia opinio, af-
ferens, nec etiam omnia venialia ex genere, aut
ex levitate materiæ, posse hominem iustum diu
vitare cum gratia, & auxiliis de lege ordinariis,
ei annexis, multò probabilior est: tum quia Scri-
ptura, Concilia, & Patres supra relati, absolute
loquuntur de peccatis venialibus, sine aliqua di-
stinctione: tum etiam quia ipsa quoque venialia
ex genere & levitate materiæ dicuntur quoti-
diana, quæ facile committuntur, & passim oc-
currunt viris iustis. Adde quod ratio D. Thomæ
etiam de istis convincit: etenim omnes peccati,
& deordinatio appetitus sensitivi, non solum est
causa, vel occasio, ut homo ex imperfecta deli-
beratione peccet, sed etiam iuste stante perfectâ
deliberatione frequenter trahatur a passione aliâ
qua appetitus ad consentiendum venialibus ex
genere aut parvitate materiæ, & quæ non semper
firmiter, etiam in levibus, rationi adhæreat. Un-
de ad instantiam negandum est Antecedens. Ad
cujus probationem dicendum, quod defectus
vigiliæ non est causa ad quæ omnia venia-
lia: sed radix & origo eorum traditur à Divo
Thoma ad præteritum, dum assignat pro huiusmodi
causâ appetitum sensitivum non omnino san-
tum, seu rationi plenè non subditum: ex hoc e-
nim, tanquam ex vera & adequata causâ, pro-
venit quod homo in natura lapsa omnia venia-
lia longo tempore vitare nequeat, prout ly *Om-
nia* claudit tam ea quæ sunt talia ex genere, quæ
ea quæ sunt talia ex subreptione: sicut contra in
statu integritatis, seu iustitiæ originalis, quia ra-
tione doni integritatis appetitus sensibilis erat
plenè rationi subditus, homo non solum poterat
vitare omne peccatū veniale, sed nec poterat
peccare venialiter, ut in Tract. de peccatis fuse
ostendimus.

Dico secundo: per parvum tempus, parvum
potest homo iustus, cum auxilio quod secundū
legē ordinariam datur, esse sine peccato veniali.
Probatur: potest iustus per sacramentum peni-
tentiae vel per ferventissimum charitatis actū,
consequi remissionem omnium venialium, &
aliquo tempore in hoc statu manere, cum non
semper occurrant occasiones peccandi, nec ap-
petitus sensitivus semper in actus deordinatos
prorumpat: Ergo potest iustus brevi aliquo tem-
pore esse immunis ab omni peccato veniali. Un-
de D. Hieronymus lib. 3. adversus Pelag. cap. 1.
versus finem, sic ait: Hoc & nos dicimus posse homi-
nem non peccare, si velit, pro tempore, pro loco, pro im-
becillitate corporeâ, quandiu intentus est animus, quan-
diu chorda nullo vitio laxatur, in civitate, quod si pau-
lulum remiserit, quomodo qui adperso lumine lem-
bum trahit, si remiserit manus, statim retidit labrum, &
fluentibus aquis quo non vult duci, sic humana con-
ditio, si paululum se remiserit, discedit fragilitatem suam,
& multa se non posse cognoscit. Idem docet Augu-
stinus lib. de natura & gratia cap. 62. ubi etiam
in huius veritatis confirmationem, Ambrosium,
Chrysostomum, Hilarium, & alios SS. Patres
adducit. Faver etiam S. Thomas 3. p. quæst. 79.
art. 4. ad 2. ubi exponens illud Joan. 1. si dixerim-
us quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus
&c. ait: Hoc non est intelligendum, quoniam aliquā horā pos-
sit homo esse absque omni reatu peccati venialis, sed quia
vitam

74
vitam istam sancti non ducunt sine peccatis venialibus.

325 Sed difficile est assignare spatium temporis quo possit iustus abiquo veniali perseverare. Vega & Soro integrum diem assignant. Martinez ait aliquos sanctos fuisse in extasi per duos vel tres dies, in Dei amore & contemplatione persistentes, & rationabile esse, toto illo tempore eos ab omni veniali liberare. Curiel vero asserit viros iustos & sanctos ad summum posse per spatium trium vel quatuor horarum sine veniali permanere: tum quia facillimum est incidere in venialia ex subreptione: tum etiam quia Concilia & SS. Patres peccata venialia quotidiana appellant, quia quotidie committuntur. Unde Augustinus homil. 2. in Apocal. ait: Non tantum laici, sed etiam sacerdotes, una die esse non debent sine poenitentia, qui nullus dies est in quo homo possit esse sine peccato.

§. II.

Difficile argumentum solvitur.

326 Contra primam conclusionem obijci solet difficile argumentum, quod potest sic breviter proponi. Nullus peccat in eo quod vitare non potest, ut ait Augustinus lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. At si homo in statu naturæ lapsæ indigeret speciali auxilio, seu privilegio, ad vitanda omnia peccata venialia, ea non posset vitare; cum Deus non sit paratus tale privilegium omnibus dare. Ergo non posset ei ad culpam imputari, quod omnia peccata venialia non vitaret.

327 Respondent aliqui, quod licet homo in statu naturæ lapsæ non possit omnia venialia vitare, ei tamen ad culpam imputatur quod omnia venialia non vitet, quia talis impotentia est ipsi voluntaria, saltem in capite, ratione culpæ originalis, ex qua fuit relicta.

328 Sed hæc solutio displicet: Primò quia licet voluntarium in capite ad culpam originalem sufficiat, ad culpam tamen, seu personalem (qualis est culpa venialis) requiritur voluntarium voluntate personæ, ut declarat S. Doctor in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 2. in corp. his verbis: Oportet quod secundum hoc quod aliquid rationem culpæ habet, secundum hoc ratio voluntarij in ipso operatur: sicut autem est quoddam bonum quod respicit naturam, & quoddam quod respicit personam, ita etiam est quoddam culpa naturæ, & quoddam personæ. Unde ad culpam personalem requiritur voluntas personæ, sicut patet in culpa actuali, quæ per actum personæ committitur; ad culpam vero naturæ (id est originalem) non requiritur nisi voluntas in natura illa.

329 Secundo, si hæc solutio & doctrina valeret, sequeretur omnes motus sensualitatis etiam eos qui primò primi appellantur infidelitatem quoque negativam, ignorantiam invincibilem, esse peccata, & homini ad culpam imputari; cum hæc a peccato originali proveniant, subindeque in capite voluntaria sint. Sed hoc dici nequit, ut in dissertatione de probabilitate articulo ultimo fuisse ostendimus. Ergo &c. Hæc ergo solutio ne rejecta.

330 Respondeo, ut peccata venialia imputentur hominibus iustis, non opus esse ut Deus det, aut paratus sit dare auxilium sufficiens ad vitanda omnia collectivè, sed satis esse, ut det auxilium ad vitanda omnia divisivè, & seorsim, ac in particulari; nam peccata semper se offerunt vitanda divisivè, & seorsim, ac in particulari, non vero simul & collectivè. Solutio est D. Thomæ supra quæst. 74. art. 3. ad 2. ubi sic ait: Corruptio se-

A mitis non impedit quin homo rationabili voluntate possit reprimere singulos motus inordinatos sensualitatis, si præsentiat, puta divertendo cogitationem ad alia. Sed dum homo cogitationem ad aliud divergit, potest etiam circa illud aliquis inordinatus motus insurgere; sicut cum aliquis transfert cogitationem suam a delectationibus carnis, volens concupiscentia motus vitare, ad speculationem scientiæ, insurgit quandoque aliquis motus inanis gloriæ impremeditatus: & ideo non potest homo vitare omnes huiusmodi motus, propter corruptionem prædictam; sed hoc solum sufficit ad rationem peccati voluntarij, quod possit vitare singulos. Idem docet hic art. 8. in corp. his verbis: Huius (scilicet appetitus sensitivi) motus singulos ratio reprimere potest, & ex hoc habent rationem peccati & voluntarij, sed non omnes. Item 3. contra Genr. cap. 160. Licet (inquit) ille qui est in peccato, non habeat hoc in propria potestate quod omnino vitet peccatum, habet tamen nunc vitare hoc vel illud peccatum: unde quodcumque committit, voluntarie committit, & ita non immerito ei imputatur ad culpam.

Dices: Homo iustus non solum tenetur vitare singula peccata venialia, sed etiam omnia collectivè: Ergo cum nullus teneatur ad impossibile, opus est ut omnia venialia collectivè vitare possit, saltem cum auxilio gratiæ, quod Deus sit paratus conferre.

331 Respondeo non dari præceptum respiciens omnia venialia collectivè: etsi enim in scriptura præcipiatur in communi ut non peccemus, hoc tamen præcipitur ratione singulorum peccatorum, quæ tenemur vitare, quia (ut supra dicebamus) peccata semper se offerunt vitanda divisivè & seorsim, non vero simul & collectivè. Adhuc aliqui quod ut homo possit à Deo obligari ad totam collectionem peccatorum venialium vitandam, sufficit quod ad illam habeat potentiam physicam in vi gratiæ, ex communi lege paratæ, & ad singulæ collectionis potentiam moralem.

332 Instabis Homo habet naturalem necessitatem existendi in aliquo loco indeterminatè, cum libertate existendi in hoc vel in illo determinatè; & tamen non potest obligari ad non existendum in aliquo loco, & si de facto prohiberetur illi alicubi existere, non peccaret alicubi existendo, propter illam necessitatem. Ergo pariter si homo in ista naturæ lapsæ habeat necessitatem incidendi in aliquod peccatum veniale indeterminatè, etsi quodlibet in particulari possit vitare, non poterit obligari ad non peccandum venialiter.

333 Respondeo concessio Antecedente, negando consequentiam, & paritatem: duplex enim inter illud exemplum, & id de quo agimus, reperitur discrimen. Primum est, quod ex natura rei est necessarium hominem existere in aliquo loco; hoc enim provenit ex natura corporis, quod nequit esse extra omnem locum: at vero necessitas incidendi in aliquod peccatum veniale, non oritur ex natura rei, nec ex parte ipsorum peccatorum (illa enim sunt secundum se nata evitare) sed provenit ex infirmitate naturæ per peccatum originale corruptæ: esset autem durum aliquem obligare ad aliquid, secundum se & ex natura rei impossibile, live prohibere quod necessariò & ex natura rei debet evenire; secus vero id quod secundum se non est impossibile. Secundum discrimen est, quod in exemplo adducto illud commune quod necessitat, semper est conjunctum exercitio circa aliquod singulare determinatum.

determinatum; qualibet enim in exercitio in aliquo determinato loco existit; sicque duplex est ibi necessitas, una circa commune, & altera circa continuum exercitium alicujus particulæ. At verò in nostro casu est una tantum necessitas ad peccandum ut sic, sed non ad existendum continuò in exercitio alicujus peccati venialis, & ita datur perfecta libertas circa singula peccata venialia, cum tamen in exemplo adducto non sit omnino perfecta libertas circa singulæ. Urgebis: Injusta esset lex quæ præciperet reddere pluribus tributis, quorum singula reddere esset possibile, non verò omnia collectivè: nam ideo Hebræi conquerebantur Exodi 5. *Palea non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: en famuli tuos flagella caduntur, & injustè agitur contra populum tuum.* Ergo similiter, si cum auxiliis gratiæ quæ de lege communi conceduntur, non possumus omnia peccata venialia collectivè vitare, injusta erit lex Dei, quæ omnia collectivè vitari præcipit.

Confirmatur: Deus non potest præcipere Angelo, ut in omnibus collectivè instantibus horæ unus, unum actum dilectionis eliciat, quia licet moraliter sit possibile elicere talem actum in singulis instantibus divisivè, non tamen in omnibus collectivè: Ergo neque poterit præcipere ut vitemus omnia peccata venialia collectivè, si tantum divisivè id possumus; & si præcipit, est signum quod possumus.

Ad instantiam responderetur, concessio Antecedente, negando consequentiam, & paritatem: est enim manifestum discrimen inter illud exemplum de tributis, & id de quo in presenti agimus; quia soluto uno & alio, per continuam solutionem exhauriuntur opes, & tandem deficit potentia physica & moralis ad solvenda reliqua, etiam divisim: hic autem postquam vitavimus unum peccatum veniale, non exhauritur potentia physica & moralis ad vitanda alia divisivè, sed potius perficitur & augetur.

Ad confirmationem negatur etiam consequentia & paritas: differentia est, quia vitari omnia peccata venialia collectivè, est possibile physice, seu absolute & simpliciter, & solum impossibile moraliter & secundum quid: at Angelum in omnibus collectivè instantibus unius horæ elicere unum actum dilectionis, est simpliciter impossibile, quia alias numerarentur singulæ infinitæ instantia horæ: de quo in 3. physicorum.

Ex his intelliges quid sit dicendum de eo, qui voverit se non peccaturum venialiter per totam vitam: si enim promittat vitare omnia peccata venialia collectivè, tale votum erit inane & irritum, quia est de re moraliter impossibili, sine speciali auxilio seu privilegio, quod Deus non est paratus omnibus dare: si verò intendat solum se obligare ad vitanda singula venialia, votum tenebit, cum illud sit physice & moraliter possibile, cum auxiliis gratiæ quæ de lege ordinaria conceduntur.

§ III.

Alia difficultas expeditur.

Deo tertio, privilegium vitandi omnia venialia collectivè, Beatissima Virgini fuisse concessum, non verò alicui alteri Sancto: licet aliqui speciale privilegium habuerint vitandi omnia venialia collectivè in aliqua certa & determinata materia.

Prima pars est certa de fide, definita in Trinitate. IV.

A dentino sess. 6. can. 23. supra citato, ubi asseritur Ecclesiam semper ita sensisse. Eam etiam docent S. Augustinus cap. 36. de natura & gratia, & D. Thomas 3. p. quæst. 27. art. 3. & 4. omnesque ejus Interpretes ibidem.

Secunda pars verò, quæ asserit privilegium istud nulli alteri Sancto fuisse concessum, & quæ est contra Catharinum lib. 2. de prædestin. ubi docet quosdam viros Sanctos, quos appellat insigniter prædestinatos, à mortali & veniali per totam vitam fuisse præservatos; quod specialiter asserit de Jeremia, & S. Joanne Baptista, qui fuerunt sanctificati in utero matris: hæc, inquam, secunda pars conclusionis probatur, & simul impugnatur opinio Catharini: Tum quia sine maximo fundamento, ex Conciliis & Patribus desumpto, nullus est excipiendus ab illa regula generali Scripturæ, *Non est homo qui non peccet*; nullus autem Sanctorum, nequidem Jeremias, vel S. Joannes, à Conciliis, & SS. Patribus ab illa regula excipitur: Tum etiam, quia exceptio firmat regulam in oppositum: unde cum Concilium Tridentinum, & D. Augustinus, locis citatis, ab illa communi regula loquantur B. Virginem excipiant, dicendum est omnes alios in ea includi.

Confirmatur: Si aliquibus sanctis tale privilegium esse concessum, maxime Apostolis, qui primitias spiritus acceperunt (ut inquit Paulus ad Roman. 8.) & ad majorem dignitatem inter ceteros sunt electi, ut scilicet immediate accipientes à Christo, aliis traderent quæ pertinent ad salutem, ita ut in eis Ecclesia quodammodo fundaretur, ut ibidem ait S. Thomas: Sed illi privilegium vitandi omnia venialia non habuerunt, etiam post acceptum Spiritum sanctum; cum ab eo tempore in levia peccata inciderint, ut patet de Petro qui fuit reprehensus à Paulo, quia reprehensibilis erat, ut ipse inquit ad Galatas 2. Ergo nulli Sanctorum, præterquam B. Virgini, privilegium vitandi omnia venialia fuit concessum.

Quod verò probabile sit, aliquos Sanctos habuisse privilegium vitandi omnia venialia in aliqua certa & determinata materia (ut in tertia parte conclusionis asseritur) patet: multi enim pie existimant D. Joannem Baptistam fuisse immunem à peccatis venialibus quæ sermone committuntur, puta mendaciis, vaniloquiis, seu verbis otiosis, quia illa specialiter repugnant officio Prædicatoris & Præcursoris. Utræque Ecclesia in ejus hymno decantat:

*Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens periculis,
Ne leve saltem maculare vitam
famæ posses.*

Similiter multi pie credunt, B. Josephum habuisse privilegium non peccandi etiam venialiter in materia castitatis, saltem ab eo tempore quo B. Virgini fuit desponsatus; docetur enim sponsus hujus purissimæ Virginis, cum qua familiariter conversabatur, esse purissimum, & omni prorsus libidinis motu carere: Refert etiam D. Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 2. S. Benedictum nunquam sensisse rebellionem carnis, postquam se inter spinas volutavit. Quod pariter de Angelico nostro Doctore asseritur, ab eo tempore quo ab Angelis castitatis cingulo fuit præinctus. Illi etiam nunquam peccasse venialiter in materia superbiæ Ecclesia aperte declarat, dum in ejus officio, illius encomia celebrans, canit:

K. 2

O munus

O manus Dei gratia,
Vincens quodvis miraculum,
Pessifera superbia
Nunquam perculit stimulum!

343 Contra primam partem conclusionis, in qua diximus privilegium vitandi omnia venialia collective, B. Virgini fuisse concessum, obijci potest: B. Virgo recitabat orationem Dominicam, subindeque hæc verba, *Dimitte nobis debita nostra*, verè pronuntiabat: Ergo habebat aliqua peccata venialia, quæ sibi digni postulabat. Unde Chrysostomus homil. 4. in Matth. docet illam ex motu ambicionis, seu vana gloriæ, Filio suo dixisse, *vinum non habent*. Et D. Augustinus lib. questionum novi & veteris testamenti quæst. 73. videtur docere, eam habuisse in morte Christi dubitationem fidei.

344 Respondeo quod B. Virgo orans nomine totius Ecclesiæ, verè dicere potuit, *Dimitte nobis debita nostra*. Vel quod potuit hanc precatiunculam facere in persona propria, quatenus nempe peccata dicitur nobis dimitti, à quibus Dei gratiā præservamur. Hinc est memorabilis illa Augustini sententia 2. confess. cap. 7. *Gratia tua Domine deputo quod peccata mea inquam glaciem solvis: gratia tua etiam deputo quæcunque mala non feci; omnia dimissa mihi esse fateor; & quæ mea sponte feci, & quæ te duce non feci.*

345 Ad Chrysostomum respondet D. Thomas 3. p. quæst. 27. art. 4. ad 3. ipsum vel excessisse quantum ad hoc, vel hoc dixisse sequendo aliorum sententiam. Ad Augustinum verò respondet ibidem ad 2. illum esse intelligendum, non de dubitatione circa fidem culpabili, sed de stupore quodam ex admiratione causato, quæ verum Deum in carne assumptum pati & mori mirabatur. Ad id quod liber ille questionum novi & veteris testamenti non est Augustini, ut in Tractatu de statibus naturæ humanæ ostendimus.

Disp. 1.
art. 3.

ARTICULUS VIII.

Verum ad finaliter perseverandum requiratur speciale donum, à gratia & auxiliis eam concomitantibus distinctum, & in quo formaliter consistat?

S. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

346 Notandum primò cum D. Thomæ hic art. 10. & 2. quæst. 137. art. 4. præservantiam dupliciter sumi; uno modo pro habitu virtutis inclinante voluntatem ad perseverandum, seu non deficiendum in bono incepto: alio modo pro ipso actu perseverandi, seu ipsâ actuali executione perseverantiæ. De perseverantia primo modo sumpta eleganter disserit D. Bernardus in quadam Epistola, ubi sic eam describit: *Perseverantia est unica filia summi Regis, finis virtutum, earumque consummatio, totiusque boni repositorium, & virtus sine qua nemo videbit Deum. Absque perseverantia, nec qui pugnat, victoriam, nec victor pacem consequitur. Hæc nectum nutrix ad meritum, sed etiam mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, confortatrix filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimiæ vinulum, sanctitatis propugnaculum. Tolle perseverantiam, nec obsequium mer-*

Acedem habet, nec beneficium gratiam, vel laudem fortitudo. Denique, hæc sola (ut dicit Augustinus) informat meritum, remunerat currentem, coronat pugnantem, & cunctos ad portum conducit. Unde Gregorius Magnus lib. 1. Moral. cap. 21. *Incaustum* (inquit) bonum agitur, si ante terminum vita deferatur: quia & frustra velociter currit, quæ priusquam ad metas veniat, deficit. Hinc est enim quod de reprobis dicitur: *Ve qui perdidit sustinentiam*. Ioseph, qui inter fratres iustus perseverasse dicitur usque ad finem, solus talarum tunicam habuisse perhibetur: nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi protensa tunica talum corporis operit, cum bona actio ante Dei oculos usque ad vitam terminum regit. Hinc est quod per Moysen caput & caudam hostia in altari offerre precipimur, ut videlicet omne bonum quod incipimus, etiam perseveranti fine impleamus.

Observant etiam aliqui Scripturæ Interpretes, quod olim Deo offerebantur non tantum primitiæ, sed etiam & decimæ, quia ab ipso non tantum est inchoatio bonorum operum, per primitias significata, sed etiam perseverantia in eis, designata per decimas. De quo vide Glossam Genes. 14. ad illa verba: *Et dedit ei decimas.*

Notandum secundò, quod perseverantia sumpta pro actu, potest sumi dupliciter; vel pro continuatione in gratia longo tempore, abstrahendo ab hoc quod continuetur usque ad mortem: vel pro permanentia in gratia usque ad finem vitæ inclusivè, quæ *Perseverantia finalis* appellatur. De perseverantia primo modo sumpta egimus supra art. 6. conclus. 3. ubi ostendimus hominem iustum, ut diu abstineat à peccatis mortalibus, & in bonis operibus perseveret, præter gratiam habitualement indigere speciali auxilio: unde superest nobis hic agendum de finali perseverantia, de qua S. Doctor articulo ultimo huius questionis disserit. Sed

Notandum tertio, quod perseverantia finalis potest esse duplex. Prima quando quis brevi tantum tempore in gratia perseverat, sed tamen quia in hoc brevi intervallo contingit eum mori, dicitur in finem usque perseverare: quo sensu bonus laicus in gratia perseveravit, licet modico tempore in ea fuerit. Secunda est, quando quis longo tempore in gratia perseverat, & eam usque ad finem vitæ inclusivè conservat.

His præmissis, & relicto errore Pelagii & Celestii, asserentium hominem ex viribus naturæ posse perseverare in gratia usque ad finem, cum ex naturalibus possit non peccare, & omnia legis mandata observare, ut refert D. Augustinus Epist. 94. tres circa propositam difficultatem reperio sententias.

Prima est Massiliensium, qui dicebant gratiam quidem esse necessariam ut homo perseveret usque in finem, eam tamen non esse distinctam, sed eandem numero cum gratia quæ quis potest perseverare; atque adeo dari omnibus donum perseverantiæ, etiam si actu & de facto non perseverent. Ita de illis refert Hilarius Arelatensis in Epistola ad Augustinum, cuius verba infra referemus.

Secunda est quorundam Catholicorum, qui licet admittant requiri speciale donum ad perseverandum finaliter, quando quis longo tempore ante mortem in gratia perseverat, secus tamen quando brevi tempore post acceptam gratiam eum mori contingit. Unde illi non existimant requiri speciale donum ad perseverantiam,